



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

XV. Praeceptum Pippini Regis pro monasterio Funcellensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

donasse, ut omni tempore Missæ ibidem decensitate esse debeant, petivi à vobis ut de ipsis duabus partitionibus nisi compendium faceretis, quod ita fecistis, ut dum ego viverem, hoc per vestrum compendium habere debeam. Et ego pro ipso compendio dedi vobis de ratione sancti Iuliani villam cui vocabulum est Blanciago unà cum agacientia sua vel servos vel tributa quod exinde exire debet annis singulis, libras 11. partitionum de ipsa villa Maceriago in vos villas sum emisisse; ut si in tempore aut post tempus ego vobis * petro iudicium facere voluero aut fecero, * spondionis vobis desolvere partibus vestris aut successoribus vestris, qui tunc temporis post fuerint, auri libram 1. & ipsam villam Blanciago in vestra revocatione ponam, & inantia vestra compendius vos dominus recognoscat, & presens precaria mea in vos scripta omni tempore firma stabilita perduret. Facta carta precaria mense Septembris x 11. anno Donno Vvayfario Principe. Teste Gideon. Manu Garionis. Manu Berterio. Manu Artimio.

* s pro hoc
* spondio
nos.

X V.

Preceptum Pippini Regis pro monasterio Iuncellens.

An. 768
Ex archivo
monasterij
Iuncellen-
sis.

IN nomine sanctæ & individuae Trinitatis. Pippinus divina ordinante providentia Rex universis fidelibus. Cùm locis Deo dicatis eisque inibi Deo fervientibus quippiam muneris conferimus, id nobis procul dubio ad æterni regni præmium consequendum profuturum cognoscimus. Quamobrem noverit solertia cunctorum sanctæ Dei Ecclesiæ filiorum quia adiens nostri culminis serenitatem Benedictus Abbas sancti Petri Iuncellensis monasterij, quod est situm in territorio Bittertensi, petiit ut ipsum monasterium restitueremus & de nostris regalibus viris auferemus. Cujus denique preces clementer audivimus, & ad meliorandum locum ipsi servisque Dei illic militantibus benignè aliquid largimur, scilicet de fonte pallagij usque ad tertiam nigram, abhinc etiam usque ad fontem Alder, & inde usque ad fontem Orbi, & descendit ad terminum tabule, & inde iterum usque ad fontem pallagij, ut necessitatibus eorum supplementum conferatur. Prædictum autem Iuncellense monasterium cum hac nostra largitione vel cum reliquis possessionibus quas in præsentia possidet vel quæque deinceps in jure ipsius monasterij aut per nos aut per alios quosque divina pietas augere voluerit, sub nostro mundeburdo nostræque libertatis defensione omni tempore possidere mandamus. Et propterea jubemus ut nulla potestas neque quislibet hominum ipsas possessiones præsumat aliquando à potestate five dominatione jam dicti monasterij minuere vel subtrahere; sed liceat Benedicto Abbati & successoribus suis cum ipsius loci congregatione sine alicujus minoratione quietè integerrimèque possidere. Et per nostram etiam auctoritatem monachi ibi Deo fervientes libertatem semper habeant potestatem ex se ipsis Abbates eligere secundum beatissimi Benedicti regulam, quatenus pro stabilitate totius nostri regni misericordiam Dei im-

Tom. II.

plorare delectent. Ut autem hæc largitio & liberalitas nostræ magnificentie rata & inconvulsa omni tempore permaneat, manu propria subternotavimus & anuli nostri impressione sigillari fecimus.

Signum Pippini gloriosi Regis.

Ilachar Notarius ad vicem Hermoler. recognovit & signavit.

Datum mense Junio feria tertia anno v 1. Pippini Regis. Actum villa Pontigonis anno Domini 762.

Error heic est in numeris. Nam Pippinus regnavit per annos tantum sexdecim. Itaque rependendum videtur xvi. pro xxxvi. Nota annorum Christi videtur addita nullo post tempora Pippini.

XVI.

Iudicium pro Daniele Archiepiscopo Narbonensi adversus Milonem Comitem.

IN Dei nomine. Hæc est notitia traditionis iudicium. Cùmque residerent Missi gloriosissimo atque scellentissimo Domino nostro Carulo Rege Francorum in Narbona civitate, die Martis, per multorum altercationes audiendas & rectis negotiis terminanda, & per ordinatione de suis Missos, id est, Vvaltario, Adalberto, Fulcore, & Guibvino, & Vassis dominicis, id est, Rodeflagnus, & Abundantius, & Iudices qui iussi sunt causas dirimere & legibus definire, id est, Gontario, Discolio, Leoderico, Petro Bona-vita, & Sisfredo, & aliorum bonorum hominum qui ibidem aderant, id est, Garibertus, VVidalus, Ingobertus, Arvinus, VVicar, VVulfulfus, Acila, Samuel, Donadeus, Argemundus, Vrsione, Argimiro, Anselmo, VVarnario, in eorum iudicio vel præsentia quos causas fecit esse presentes. Cùmque ibidem residerent præscripti Missi & Iudices vel plures bonis hominibus in Narbona civitate ad rectas justitias terminandas & causarum exordia dirimendas in eorum præsentia; ibique in supradictorum iudicio veniens homo nomine Arliinus, qui est assessor vel causlicus & mandatarius Danielo Archiepiscopo, & per ordinatione de Domino & Regi nostro Karulo Rege, & dixit. Iubete me audire cum isto præsentem Milone Comite, quia tales villas qui sunt in pago Narbonensi de causa Ecclesiarum sanctorum Iusti & Pastoris, & S. Pauli, & sancti Stefani in pago Narbonensi, eis retinet malum ordinem injussè. Hæc sunt nomina de ipsas villas. Quincianus, & Mutianus, Ecclesiarum sunt medius. Villa Pucio, Valeri, & Baxanus, & Malarius villa sunt ultra ponte septimo, causa est Ecclesiarum ab integrè sanctorum Iusti & Pastoris. Villa Trapalianicus, Paredinas, Agello, Medallano, Buconiano, Follopiano, Anniciano, ex medietate. Magriniano, Leccas, Centopenus, Cristimanicus, Petruccio, ab integrè. Cannedo, Troilo, Laureolis curte, Oliva media, Prexanus media, Caunas, Nivianus, infra insola Leccas. Villa Gorgociano, Caunas, Casolis, Baias, Vrsarias, Quiliano, ab

An. 781.
Ex archivo
Archiepiscopi
Nar-
bonensis.

T T t